



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

B. C. D.

DISSERTATIO JURIDICAR<sup>um</sup>.

DE

VINDICATIONE  
HOMINUM,

QVAM

DIVINA FAVENTE GRATIA

SUB PRÆSIDIO

VIRI *Nobilissimi, Amplissimi, Consul-*  
*tissimi atque Excellentissimi*

DN. JOH. GEORGII  
SCHERTZII,

J. U. D. ejusdemque P. P. Ord. & Can. Thom.

*In Alma Argentinensium Universitate*

SOLENNI Eruditorum Disquisitioni  
sistit

ABRAHAMUS NAGEL,  
Argentinensis, AUCTOR.

*A. d. 23. Mens. Novembr, A. O. R. M DCC XIII.*

In Auditorio Majori h. lq. solit.

---

ARGENTORATI,  
Literis JOHANNIS PASTORII.

D E O,  
P A T R I Æ,  
P A T R O N I S  
A T Q V E  
A M I C I S.



Q. D. F. F. Q. E. 7.



Vamvis in Jure Civili Romano Juris Consultorum- que Commentariis crebra fiat *Rei Vindicationis* mentio, ita quidem, ut in Pandectis & Codice utroque integros hac de materia habeamus Titulos, rara tamen ibidem occurrunt vestigia, quæ ad materiam *Vindicationis Hominum* pertinent. Visum hinc est quædam de hoc Themate Exercitii Academici loco in medium proferre. Cui instituto ut Deus T. O. M. adsit & Eruditi faveant, summo optamus opere.

§. I.

**E**st autem *Vindicatio Hominum* (illa scilicet quæ in foro instituitur) Actio realis, quæ vel homo liber libertati, vel qui alterius do-

dominio, aut juri, quod huic analogum, est sub-  
jectus, ab eodem contra quemvis detinentem pristi-  
næ conditioni asseritur.

§. II.

Eam a *Vindicando* dici in proapatulo est. Deno-  
tat autem hæc vox primæva significatione nihil,  
quam actum persequendi possessionem rei alicujus;  
quo sensu etiam vox *Vindicia* pro possessione usur-  
pata reperitur in LL. XII. TABB. ubi dicitur: SI  
QVIN JURE MANUM CONSERUNT, SECUN-  
DUM EUM QVI POSIDET VINDICIAS DA-  
TO. item: SI VINDICIAM FALSAM TULIT  
SI VELIT IS ARBITROS TRES DATO, ubi  
per *Vindiciam falsam*, ceu SCHILTERUS in *Exercit.*  
*ad w. XVI. §.* observat, denotatur possessio malæ fi-  
dei. quæ loca faciunt ad explicationem §. 24. *Leg.*  
*2. w. de Orig. Juris & LIVII lib. 3. c. 45.* ubi co-  
dem sensu vox *Vindiciarum* occurrit; quod ipsum  
si BACHOVIVS perpendisset, sine dubio Livium &  
Pomponium erroris non arguisset. vid. ULRIC.  
HUBERUS in *Eunomia Romana p. m. 34.* Postea ta-  
men vox *Vindicationis* alia donari cœpit signifi-  
catione, ita quidem, ut interdum persecutionem omnis  
ejus, quod suum est, denotaret, quo sensu & servi-  
tus, & pignus, item Hereditas & Possessio vindicari  
dicitur, ceu tradit CUIACIVS *lib. 5. Obs. 29. & Pa-  
rat. Dig. de R. V.* interdum stricte persecutionem rei  
jure dominii vel quasi ad nos pertinentis signifi-  
caret.

§. III.

*Vindicare* autem homines dicuntur non tantum  
ij, qui vel libertatis jus asserunt, vel dominii aut  
juris

juris, quod eidem analogum est, declarationem & persecutionem intendunt, adeoque, ceu Practici loquuntur, *Peistorium* instituunt, sed etiam illi, qui ad *Possessorium* confugiunt : quo sensu subinde apud Jurisconsultos nostros *vindicare* dicuntur ij, qui in Interdictis de *Liberis Exhibendis aut Ducendis* præsidium quærunt ; quod eo magis admitti potest, quo minus à primæva, quam supra indigitavimus, Vindiciarum significatione hoc ipso receditur. Nobis potissima de Vindicatione Hominum, quæ juris ipsius persecutionem involvit, visio erit.

§. IV.

Cæterum notandum, quod *Vindicatio Hominum alienorum* Latine, scribentibus aliis etiam nominibus fuerit indigitata. Si sic appellatur *Sequela* CHARTA *Libertatum oppidi S. Karterij in Biturigibus de A. 1251.* ubi dicitur : *Si vero aliqui alienigenæ advenerint mansuri infra metas libertatis prædictæ, dum tamen non sint homines aliquorum sequelam habentium in villa, ibi dominum facere poterunt, quemcumque voverint.* Nominatur etiam *Secutio* in CHARTA LUDOVICI COMITIS S. CÆSARIS de A. 1219. ubi legitur : *Quod si homo Ecclesie S. Satyri Uxorem duxerit, feminam Domini de Sancero, cujuscunque legis vel conditionis, ancillam sive liberam, Dominus de Sancero ulterius in ea & in liberos ejus nullam habebit secutionem.* vid. du FRESNE in *Gloss. Latino Barb.* qui etiam notat appellari *Seçtam* ; item *Quæstionem* & Gallis dici *Suite, Poursuite*. Qui ita repetuntur, illi etiam *Evindicari* dicuntur ; vid. SIRMONDI *Analeccta ad Notas in Capitularia p. 824. Tomi II. edit. Baluz.* ubi inscriptio talis habetur : *Notitia de Man-*  
cipiis

*cipis S. Remigii per iudicium Scabiniorem evindica-  
tis in Placito Missorum Hincmari Archiepiscopi. Ma-  
jores nostri eam designarunt nomine des Besizens,  
Besazung-Rechts, Sazrechts, uti observant Antiqui-  
tatum Germanicarum Statores certissimi DATTIUS  
de Pace Publ. lib. I. c. 14. n. 117, & HERTIUS in  
Diff. de Hominibus Propriis Sect. III. §. 10. in AU-  
TEA BULLA IMP. SIGISMUNEI de 1431. eodem  
sensu occurrit vox Besazung, unde eine Besazung  
gestatten, est Vindicationi Hominum locum dare, in  
ACTIS der Rachtung zwvischen Marggraff Bernhard  
zu Baden und den Stätten im Brisgau, quæ in eru-  
ditissimo de Pfalburgeris opere Consultiss. DN. WEN-  
CKEËUS in Parte, quæ de Usburgeris agit, p. 80. ex-  
hibet. Ibidem pag. 81. occurrit phrasis: Besazung  
fürvenden, quod vindicare significat. videtur au-  
tem τὸ besetzen, in generali significato idem esse, ac  
manum alicui injicere; unde & in ANTIQVIS LE-  
GIBUS BRUNSVICENSIBUS, quas Illustris DN LEIB-  
NIZIUS, in Tomo III. Rer. Brunsvicensium publicavit  
besetzen in p. 430. & 444. adhibetur, συνώρυσμον est τὸ  
arrestare, verarrestiren. In supra allegatis Punctis  
der Rachtung p. 77. invenimus quod τὸ vindica-  
re homines etiam reddatur, per absetzen; dici-  
tur enim: Wölt auch der Stätte dheine oder die iren  
unserm Herren dem Marggrauen oder dem obgenan-  
ten, so die Rachtung brieffe bindent, yeman absetzen,  
dorumb söllent sie nachvolgen an die ende nach dem  
des Landes Recht oder Gevronheit ist. Unde etiam  
apparet, quod hoc ipsum etiam denotetur per nach-  
volgen. quæ vox etiam juncta reperitur in AMPLISS.  
MAGISTRATUS NOSTRI MEMORIALI AD*

CAROL. V. de 1521. ubi Patres nostri conscripti dicunt: *Item desglichen schwört ein jeder Burger, ist er ein Herren eygen, volgt der noch und belezt jne der Lybeygenschafft inn jors frist, das man jne denselben volgen lassen soll.* vid. supra laudatus DN. WENCKERUS lib. cit. p. 171.

§. V.

*Causa* hujus Actionis *Efficiens* Remota alia est, alia proxima. *Proximam* dico Libertatem; vel jus domini, aut aliud huic analogum agenti competens. Dum mentionem facio juris alius, quod dominio analogum est, hoc ipso id indigito, quod non tantum servi, in quos ex mente Juris Romani competit dominium, vindicari possint, sed & alii, qui alio quodam juris vinculo agenti ita obligantur, ut adversus quemvis detinentem eorum nomine actio detur, ex. gr. filii familias, homines proprii, unverrechnete Arntleut. &c. de quibus infra.

*Causa Remota* est Jus Naturæ, Gentium & Civile, quod *Jus Natura Gentiumque* attinet, illud animam dare actioni huic inde patet, quia, uti aliorum jurium perfectorum nomine assertionem vel violentam, in Statu scilicet naturali, vel judiciale, in Statu nempe Civili, concedit, ita etiam Libertatis Domini & jurium huic analogorum tuitionem indulget. Quis enim dubitaverit, quin non invito Jure Naturæ is qui statu maxime favorabili, Libertatem loquor, aliquem vel exuit vel exuere vult conveniri, & ut illa facta tecta maneat, agi possit. De Dominio in hominem major dubitatio esse possit, ob naturalem illam, quam Natura inter Homines introduxit æqualitatem, quo respectu Servitus in

§. 21.



§. 21. de JURE PERSON. *contra Naturam* esse dicitur, sed servitutem Juri Nat. non repugnare satis clarum est per ea, quæ habet HUGO GROTIUS de *Jure B. & Pacis* II. §. 27. add. I. 3. 8. & PUFENDORFFIUS de *J. N. G.* VI. 3. 2. *seqq.* Per *Jus Civile* hic non tantum Romanorum Leges, sed jura etiam aliorum populorum, Germanorum imprimis, designamus, utpote quibus non pauca de Hominum Vindicatione disposita reperiuntur. Scilicet postquam status hominum, eo, quo diximus, modo se habentium in Rebus publicis extabat vel invalescebat, quietis publicæ & commendatæ adeò à Prudentibus æqualitatis inter Cives servandæ ratio postulabat, ut speciales etiam hac de re Leges in civitatibus ferrentur.

§. VI.

Inter eos autem qui Vindicatione Hominum utuntur, jure primum locum tenent, qui Libertatem adserunt; maximus enim est Libertatis in jure favor, ita quidem, *ut*, ceu IMPERATOR in §. ult. INST. DE DONATION. loquitur: *Antiqui Legislatores favore Libertatis multa contra communes regulas statuerint.* Conf. l. 24. §. 10. *de EIDEM COMM. LIBERT.* l. 32. in fin. *ad L. FALCID.* l. 2. C. TH. DE CAUS. LIBER. In hoc autem judicio, (quod in l. 6. §. 3. *de CARBON. EDICT.* l. 3. §. 10. *de AMITT. VEL ACQVIR. POSS. Judicium Liberale* in l. 4. C. de ORDINE COGNIT. *Causa Liberalis.* item *Lis Liberalis.* in l. 40. C. de LIBERAL. CAUS. & l. 1. C. de OFF. PRÆTOR. *Liberale Negotium* nominatur) vel aliquis in Libertatem Vindicatur, vel in servitutem. In Libertatem autem

autem vindicatio instituitur primo ab ipso, qui in  
 servitutem asserbarur, dum, ceu LL. nostræ loquun-  
 tur, *ad Libertatem proclamabat.* vid. t. t. α. & C.  
 de LIBERALI CAUSA it. QVIBUS AD LIBERTA-  
 TEM PROCLAMARE NON LICET. it. SI INGENU-  
 US ESSE DICATUR. ex quibus etiam apparet, qui  
 ad libertatem proclamare non potuerint, qualis est,  
 ex. gr. Liber Homo major viginti annis, qui ad  
 pretium participandum se venundari passus est: item  
 servus, quem quis per vim domino eripuit, & in  
 Testamento manumisit &c. De eo autem, qui se  
 in Libertatem vindicat, notandum, quod videri pos-  
 set neminem potuisse immediate sese asserere, sed  
 quod opus fuerit semper alio, qui *assertor* diceba-  
 tur: Quo pertinent verba JUSTINIANI in l. i. C.  
 de ASSERTIONE TOLLEND A, ibi: *jubentes, si  
 quis vel adhuc serviens liberum se esse dixerit, vel in  
 libertate commorans ad servitutem vocatus fuerit, ad-  
 fertoris difficultatem in utroque casu cessare.* adda-  
 tur *Lex ultima C. Th. de LIBERALI CAUSA.* Cujus  
 rei rationem hanc reddit THEOPHILUS, *ἵνα μὴ συμ-  
 βῆ εἰς ἀπολείτωμα* Ⓞ δὲ ἄλλον ἀγωνίζεσθαι πρὸς δεσπότην, seu, ut  
 THALELÆUS ait, *ἵνα μὴ ἐυρεθῆ δὲ ἄλλο διαζόμενον* Ⓞ πρὸς  
 τὸν ἴδιον δεσπότην, *ne scil. forte, si servus pronunciaretur,  
 ex eventu Judicij servus retro adversus dominum in  
 judicio constitisse videretur.* ceu observat JACOBUS  
 GOTHOFREDUS ad l. i. d. t. Sed hoc, uti ex supra  
 allegata l. i. C. de *assertione tollenda* patet, JUSTI-  
 NIANUS abrogavit, simulque sanxit, *ut ille, qui ex  
 possessione libertatis ad servitutem ducitur, procurato-  
 rem dare possit, non autem is, qui ex servitute in liber-  
 tatem vindicatur.* Cæterum in libertatem etiam in-

B

vitum

vitum vindicare potest pater filium, siue in potestate sit, siue non sit. *L. 1. pr. ꝯ. de LIBERALI CAUSA.* Eadem ratiohe liberi parentes asserere poterant, non tantum legitimi, sed etiam naturales. vid. *d. l. 1. §. 1. & l. 3. pr. ꝯ. d. t. Cognatis idem licebat l. 1. §. ult. ꝯ. cod.* quod & ad foeminas extensum est, ita quidem, ut cum nemo alius est, qui pro ea litigat, facultas illa competat matri, vel filiabus, vel sororibus ejus ceterisque mulieribus, quæ de cognatione sunt, vel etiam uxori, *per d. l. 3. §. 2.* Imo & militi pro necessariis personis hoc permissum est §. 1. *d. l. 3.* Patronus etiam libertum certo in casu in libertatem vindicare potest §. *ult. d. l. 3. l. 4. & 5. ꝯ. de LIBERALI CAUSA.* Imo Jure hoc *libertas tutelam publicam mereri* dicitur. *ceu* apparet ex *l. 2. ꝯ. ne de Statu defunctor. post quinquenn. quar. i. c.* *ceu* id *Appius* explicat apud *LIVIUM* lib. 3. c. 45. *In Libertatis assertionem quivis lege agere potest.* Quibus non obstat *l. 6. ꝯ. de CAUSA LIBERALI.* conf. *CUJACIUS ad Pauli Sent. p. m. 243.* In servitutem autem vindicant Domini. vid. *l. 20. 21. 27. 58. 79. ꝯ. de R. V.* Quibus comparantur bonæ fidei possessores, quippe qui quasi domini sunt. arg. totius tit. *ꝯ. de Publiciana in rem actione.* Propter Jus domini, quod singulari quadam ratione civibus suis arrogat Romani, filium familias vindicat Pater quadam rei Vindicationis specie. vid. *l. 1. ꝯ. de Rei Vindicat.* ubi *ULPIANUS* ita loquitur: *Per hanc actionem (rei Vindicationem) libera persona, qua sunt Juris nostri, utpote liberi, qui sunt in potestate, non petuntur; Petantur igitur, aut prejudiciis, aut interdictis, aut cognitione pratoria: & ita Pomponius*

nus lib. 37. *Nisi forte, inquit, adjecta causa quis vindicet. Si quis ita petit filium suum vel in potestate, ex Jure Romano, videtur mihi & Pomponius consentire recte eum egisse. ait enim adjecta causa ex lege Quiritium Patrem vindicare posse.* Ad cujus rei illustrationem facit memorabilis LACTANTII locus in lib. IV. DIVINARUM INSTITUTIONUM C. III. ubi dicitur, *Dominum eundem esse, qui sit pater etiam Juris Civilis ratione demonstrari; dominij potestatem in filios habere, denique & filium manumitti tanquam servum.* Quo etiam facit, quod juxta l. 14. §. 13.  $\infty$ , de FURTIS. Pater habeat furti actionem, si filiusfamilias subreptus sit. add. l. 37. & 38. ibid. & §. 9. INSTIT. de Obligationibus, qua ex delicto or. Hodie, cum istud Quiritium Jus non sit receptum, patri non quidem rei vindicatio talis competit, liberos tamen vindicare poterit. Propter Jus dominio analogum vindicant etiam, qui Homines proprios habent, etiam si illi homines proprii nobiles sint, vid. HERTIUS dissertatione de *Hominibus propriis Vol. I. Tom. II. p. 179.* add. ibid. p. 173. de Civitate etiam quaeritur: an illa cives vindicare possit? quod a multis affirmatur. vid. MEVIUS in Tractatu vom *zustand abforderung und vervviederter abfolg der baurseuth.* quaest. 2. num. 13. Ego arbitror aequitati & analogiae Juris conveniens esse, ut ita distinguatur; aut civis vel subditus contra voluntatem suam detinetur ab alio, aut apud alium est volens; si prius est, civitas jus vindicandi habebit ob pactum illud, quo illa subdito tenetur: in posteriori autem casu, civis aut jus emigrandi habet, aut non habet, si id habet (quod naturaliter eum habere docet

GROTIUS *de J. B. & P. L. II. C. V. §. 24.*) *ceteris pa-*  
*ribus vindicari non poterit; sin minus, vindicationi*  
*locus erit, conf. etiam l. 37.  $\omega$ . ad municipalem.* Jure  
 Germanico civitates aliique possunt etiam vindicare  
 eos, qui res ipsorum administravere, & rationibus  
 domino non redditis discessere, die unverrechnete  
 Amlüte. Patet id ex privilegio, quod Civitati Spi-  
 rensi concessit Wenceslaus Imp. ad LEHMANNUM in  
*Chronico Spirensi L. VIII. c. 60.* ubi dicitur: *Wann*  
*unser und des Ryches lieben getruvvem die bürgere des*  
*Raths und die burgere gemeiniglichen der Stadt zu*  
*Spire, untzher allerley lute, vvann die quamen, abe*  
*sie auch eigen lüte oder unverrechent amplüte vve-*  
*ren, vvo die nit besetzt vvurden, vor dem Rath zu*  
*Spyr in Jahres frist zu ihren mitburgern eingenom-*  
*men, empfangen und behalten haben, nach ihrer Stadt*  
*Item herkommen und gevvonheit, &c.* add. AUREA  
 BULLA SIGISMUNDI de Anno 1431. ubi hæc oc-  
 currunt: *Auch so ist uns mit foverer clage für-*  
*bracht, so vvir der fürste und herre, geistlicher und*  
*vveltlicher, und anderer, eigen lute, nachjagenden*  
*Vöglute, und unverrechent amplute zu burgern,*  
*in die Stett, oft und dick ingenommen, und auch von*  
*andern, des Richs underthan, Edeln und Unedeln, emp-*  
*pfangen und uffgenommen vverden, davon vor Zyten*  
*anvvillen, zuvvuschen den herren, und den Stetten,*  
*ufferstanden sint, und hinfür, aber größers vvachsen*  
*und uffersteen möchten, und dazu furkomen, so setzen*  
*vvir als vor, von Ræmischer Kæniglicher macht, das*  
*kein Fürste, Grave, Herre, Ritter, Knechte, noch Stet-*  
*te, noch ander, des Richs undertan, yemands einiche*  
*eigen lute, und unverrechent amplute, nicht in noch*  
 uff-

*affnehmen, noch empfahen sollen.* Ex quo etiam apparet, quod illi, quibus suberant *die Vogtlüse* (de quibus parographo sequente) eandem facultatem habuerint. Quam ipsam etiam dominis Pfalburgerorum in ipsos STRAUCHIUS in *Institutionibus Juris publici lib. I. tit. 29. §. 10.* dominis directis in Vasallos WESENBECK. *Rubr. Cod. de Rei Vindic. num. 19.* Abbati in Monachos AZO in *Summa Cod. de Rei Vindic.* FRIDERIC. MARTINI *de Jure Cursuum Cap. ult. num. 53.* tribuunt.

§. VII.

Hinc nunc liquet, qui vindicari possint. Servi scil. filii, parentes, conjuges, cognati, cives, & ex quorundam sententia Monachi, Vasalli. inprimis autem id verum est de Hominibus propriis. Quorum cum non eadem sit natura pro diverso rerum publicarum temporumque statu, diversa etiam apud Historicos & in Legibus, diplomatibus chartisque occurrunt nomina. Ita appellantur *Servi, Proservi, Lazzi, Lassi, Liti, Lidi, Liodes, Aldiarii, Aldionarii, Aldsi, Bordarii, Originarii, Villani, Geneath, Casati, Maalmanni, Adscriptitii, Coloni, Jamundling, Manentes seu Mansionarii, Perdingi, Sanctuarii, Alepiman, Gassindi, Pertinentes, Cavaticarii, Cerarii, Unmundling, Cothseti, Cotarii, Coterii, Coterelli, Extaliati, Chartularii, Denariales, Fiscales Homines, Accolabi sive Accolani, Frilazzen, dienstmanner, dienstleute, Edle Knechte, Leibeigene, Haibeigene, Gottshausleut, Sanct Peters leut, Klosterleut, des Heiligen Creutz Leut;* vid. DU FRESNE *Gloss. Latino-Barb.* WEHNER. *Obs. Pract.* ut & BESOLD. & SPEIDEL. *Thef. Pract.* addo HACHENBERGIUM in *Germ. Med. Diff. II. §. 14. seqq.*

& HERT. de *Homin. propr.* In quibusdam locis etiam dicuntur *Bauren*, ceu *Mevius* testatur, quorum differentias sine dubio melius nossemus, si *GOLDASTUS* publicasset, quæ, ceu de se ipse testatur in *Rer. Alem. T. I. p. 132. de Servitute Germanorum antiqua & nova* meditatus fuit; aut si *ZASII* opus de *Servis Germanorum*, quod se composuisse in *Consil. XIX.* tradit, è latebris eruere licuisset. De illis, qui *Ampstleuth* vocantur, nunc videndum, nam & hi vindicari possunt. Hac voce autem non tam denotantur, ceu hodie fieri solet, qui in præfecturis Juri dicundo præsumt, sed, ceu jam supra indigitavimus, in genere, qui res alienas administrant. *Amptmann* enim in genere denotat, eum, qui officium ab aliquo habet, ministrum. Qua ratione etiam in *Versione Bibliorum Lutheri* aliquoties occurrit. *Gl. Lipsii Ambschtmann*, ministri. Ut itaque per *unverrechente Amtleuth*, denotentur administratores rerum alienarum, qui gestionis suæ rationibus nondum Domino redditis aliorum in Tutela præsidium quærunt. Ex supra allegata *SIGISMUNDI Imp. Aurea Bulla* apparet etiam vindicari potuisse *die nachjagende Vogtlüte*, conf. Privilegium *FRID. III. Carolo & Bernhardo Marchionibus Badensibus* concessum A. 1455. & *Tabula Societatis Equestris Suevicæ* de An. 1488. §. 34. quarum mentionem facit *DATTIUS de Pace Publ. lib. I. c. 14.* adde *CHRON. FRIBURG.* quod *SCHILT.* publicavit p. 13. Hos v. differre, ab iis qui *Pfalburger & Muntleuth* appellabantur, satis manifestum est ex dicta *Constitutione Sigismundina*: postquam enim primo dictum esset: *das kein Fürste, Grave &c. keinem Pfalburger noch Pfalburgerin, noch einich Muntlüte ewvig-*

ewiglichen deheims vvegs nicht enpfahen, haben noch halten sollen, &c. postea subjungitur: Auch so ist uns mit soverer Clage fürbracht, so vvir lege (svvie) der Fürste und Herre, geistlicher und vveltlicher und anderer eigenlute, nachjagenden Vogtlute und unverrechent Amlute zu Burgern in die Stett, oft und dick ingenommen vverden &c. So sezen vvir als vor, von Römischen Königlicher Macht, das kein Fürste, Grave &c. yemands einiche eigen lute, nachjagend Vogtlute, und unverrechent Amptlute nicht in, noch uffnehmen, noch empfahen sollen. Qui autem nomine der Vogtleut denotentur, ibidem non satis ostenditur. Altum etiam de iis apud BESOLDUM, WEHNERUM, SPEIDELIUM, FRITSCHIUM aliosque *Observationum Practicarum parados* apparet silentium, nisi quod WEHNERUS in v. *Vogtey* mentionem injiciat der *Vögteylichen Leut und Underthanen*, qui opponuntur *denen Zent-Underthanen*, & dicuntur præstare juramentum Asscurationis, *Erb-oder Landshuldigung*; qui tamen huc non pertinent. Cum itaque non tantum hi omnes, sed & ipse MAGERUS in eruditissimo & exasciatissimo *de Advocatia Armata* opere de nostris *Vogtleuten* plane taceant, de eorum conditione & natura, quantum pote, videamus. Derivatur autem hoc nomen à voce *Vogt*, quæ interdum quidem, *Dominum, Herun*, sæpiissime tamen *Protectorem, Tutorem, Curatorem* denotat. de quâ re videantur supra allegati *Observationum Practicarum collectores*; ut itaque non sit improbable *Vogtleut* esse homines jure Clientelari alicui subjectos. ad cujus rei confirmationem facit locus, qui occurrit in *vita S. Anonis, Archiepiscopi Coloniensis* qui

tem-



tempore Henrici III. Imp. vixit, ab OPITIO edita ;  
 ubi n. 46. hæc leguntur : *Arnolt hiez ein vollen güt  
 Knecht, der hauit einen Vogitman, hiez Volpreht, der  
 durch vvertliche Scalde verlos, sinis Herrin hulde di  
 bigond er Godi misstruvvin, Helpe suht er an die  
 Tiwvil, Her kos in imi ci Vogite vvider Arnolden.*  
 Cum quo omnino jungendum *Privilegium Civitatis  
 Ratisbonensi* A. 1239. à FRIDERICO II. Imp. datum,  
 ubi hæc occurrunt verba : *Quicumque residens in Ci-  
 vitate impetitus fuerit, quod sit Vogtman alicujus &  
 ille Civis existens Collectas det nobis & Episcopo tan-  
 quam alius Civis nulla postmodum Advocato servitia  
 exhibebit per coactionem &c.* Unde liquet *Vogtleut*  
 esse homines, qui alicujus *Advocationi, Protectioni,  
 Tutela* sunt subjecti, qui etiam in Lingua Latina  
 appellantur *Homines Advocaticii*. de quibus in *An-  
 nali. Dominicanorum Colmariensibus* ad Anno 1271.  
 hæc occurrunt : *Comes Rudolphus de Habspurg posuit  
 exactionem super homines suos Advocaticios.* Non  
 sine ratione autem quis dubitaverit, an vinculi illius,  
 quod inter Protectorem & Clientem seu Protegen-  
 dum intercedit, ea sit vis, ut Clientis talis vindicari  
 possit, cum Clientelæ tales in favorem Clientum in-  
 troducantur, cui favori, ut cuilibet alii juri, renun-  
 ciare poterunt juxta c. 6. X. de Privileg. Verum  
 dicendum videtur, quod per *Vogtleut* vel in his le-  
 gibus non intelligantur homines, qui nudo & sim-  
 plici alterius Patrocinio & Protectioni se addi-  
 xerunt, sed qui arctiori quadam, ad instar Homi-  
 num priorum, Conjunctione Tutelam aliorum  
 in sua commoda provocare sategerunt, vel, si intel-  
 liguntur simplices & meri Clientes, sermonem ibi  
 esse

esse de casu, ubi juri Clientelari illimitate suscepto non renunciarunt, & ante renunciationem aliis se subjecerunt; in quo casu quin Leges vindicandi potestatem concedere possint, non est dubitandum. ¶ *Nachjagende* autem denotantur, qui in eâ conditione sunt, ut ipsis metuenda sit vindicatio. De *Pfalburgeris* notamus ad illos vindicationem hanc non pertinere; nam, uti ex A. B. c. 16. apparet, *illi corporaliter residebant in priorum dominorum, quos fraude presumpserunt vel presumunt deserere, Terris, Civitatibus, oppidis, & villis.* De aliis vide Dd. in §. priori allegatos.

§. VIII.

Datur autem hæc Vindicatio contra eum, qui vel Possessor vel instar Possessoris est ratione juris, quod in Homine se habere vel alteri non competere prætendit. e. g. Servus, Homo proprius vindicatur ab eo, qui illum ita detinet, ut hoc ipso alter à jure suo excludatur. Is, qui in servitute vindicatur, se ipsum quasi detinere dici potest arg. *l. ult. w. de Liberis Exhibendis* ubi dicitur: *Si filius sua sponte apud aliquem est, inutile hoc interdictum erit, quia filius magis apud se, quam apud eum est, in quem interdicitur, cum liberam facultatem abeundi vel remanendi haberet.* conf. *l. 60. w. de Furtis*, ubi *Ancilla fugitiva sui furtum facere asseritur.* adde *l. 1. de Fugitiv.* & *CUJAC. XVII. Obs. 10.*

§. IX.

Modum Vindicandi Homines exemplis quibusdam aliquarum specierum Vindicationis Hominum illustrabimus. Apud Romanos si quis ex servitute in libertatem vindicabatur ab alio, id fiebat his ver-

C

bis:

bis: *Ego illam (illum) liberali affero causa manu*, quæ verba usurpat Æschines in *Adelphis* TERENTII 2, 1, 40. quem locum WEIZIUS ita explicat: *Illam in Libertatem vindico manu apprehensam, ut ejus ostendam libertatem. Veteres enim asserebant mancipia, vindicabantque in libertatem iniectione, prehensioneque manus. Liberali autem causa est iudicio seu actione de Libertate.* adde PLAUTUM in *Pœnulo* 4, 2, 83. & 5, 2, 4. & ad eum TAUBMANN. Si autem in servitute quis vindicabatur, nomen ejus dici debebat & utrum puer an adolescens sit, si nempe is, à quo vindicabatur, plures habebat servos. Si autem nomen ignorabatur, demonstratione opus erat, veluti, **QVI EX ILLA HÆREDITATE EST. QVI EX ILLA NATUS EST.** uti hæc indicat PAULUS in *L. 6. w. de R. V.* Qua ratione Filiusfam. apud Romanos fuerit vindicatus, apparet ex *L. 1. §. 2. w. de R. V.* ad cujus Loci illustrationem faciunt quæ habet SCHILTERUS *Ex. ad w. XVI. §. 15. seqq.* conf. BRISSON. *FORMUL. lib. 5. p. m. 374.* Notatu autem non indignus est Vindicandi modus, quem occasione Litis inter Civitates Alsatiæ & ejusdem Provinciæ Nobiles & Ministeriales super propriis Hominibus, exposuit Henricus VI. Imperator in diplomate, quod exhibet SCHILTERUS in *Institut. Furis Publ. l. 7. §.* ubi post alia hæc leguntur: *Quod si persona aliqua alicujus nobilis vel ministerialis propria ad civitates nostras se contulerit gratia ibidem manendi, & Dominus ejus eum repetere voluerit, ipse Dominus cum VII. propinquis suis ex parte matris, qui vulgariter nagilmage nuncupantur, quod ad se jure proprietatis pertineat, hominem illum debet obtinere.*

Si

*Si vero propinquos vel consortes aliquo casu dominus non potuerit habere, adhibitis sibi duobus testibus idoneis de vicinia, unde homo qui repetitur oriens est, probet quod hominem illum antequam ad civitates nostras se contulisset jure proprietatis habuerit in sua quieta possessione, & insuper manuscripta sua conditionis tabletis sanctorum reliquiis probet id ipsum, & sic homo suus restituetur eidem.* Ex quo Diplomate non tantum liquet, quod, ceu in aliis etiam causis Majores nostri facere solebant, Sacramentales fuerint adhibiti, sed etiam, quales præcise fuerint requisiti, apparet. Facit huc etiam CONVENTIO FRIDERICI DE BLANCKENHEIM Ep. Argent. cum Civitate nostra de A. 1389. ubi dicitur: *Were es ouch das jeman vver der vvere sine Lute die under ime sitzent trengen und tvvengen vvolte oder sie bize har getrenget hette, das dieselben keinen frien gezog haben solten, uf den und uf die sullent vvir Bischof Friderich den vrogenandten Meister und Rate zu Straßburg geraten und beholffen sin, das er sine lute der getrvvengnisse, Eyde und Burgschaft und Gelubede ledig sage, die sie ime darum getan hant, und das er sie lasse fry ziehen mit irem libe und gute vvohin sie vvellent, alse ouch das billich reht und gevönlich ist, usgenommen eygen Lute, die man besezen sol mit den lidenehsten, alse das von alter har gevönlich und reht ist.* Cum quibus quoad omnia fere concordant verba Transactionis inter WILHELMUM DE DIEST Episc. Arg. & Civitatem Argent. initæ de A. 1395. ap. DN. WENCKERUM de Pfalburgeris p. 101. Pertinet etiam huc duplex species Vindicationis Hominum; cujus ratio exhibetur in SFGISMUNDI IMP.

AUREA BULLA de 1431. ubi: *Wil einer ein Person für sein eigen Person besetzen, das sol und mag er thun mit sin selbs Person, oder mit sinem geschvornen Ammann, der von sinen vwegen zu merern oder mindren Sachen zehandlen hat, von (lege: un) zuveyen rechten Mutermegen, es seigen Frauen oder Manne ungeferlichen, also daß dieselben Personen vor einem Amptmann oder Schultheissen daselbsten, do die Person ufgenom̄en und empfangen vvere und vor denen die er zu in nemen vvird, zu Gott und den Heiligen schvverem daß dieselbe Person syn eigen sey, und sy als syn ander Eigenlüte ingehebt und herbracht habe. Und das auch den zuveien Mutermegen in den Byde gegeben vverde, das sie der besetzten Person recht Mutermegen heissent und sin. Postea dicitur: Item vvil einer ein Person besetzen, daß er über sy nachjagender Vogt oder sin unverrechner Amptmann sey, das soll und mag er tun mit zuveyen erbern unversprochenen Mannen und mit sinem glaubhafftigem Vogt oder Amptmann; Und daß die dry darüber zu Gott und den Heiligen schvverent; doch daß die uf dieselbigen zyt von iren Hrrn ihrer Eyde und Gelübde gantz erlassen syent, und sy nit binden sollent von derselben Sache vwegen. Cum quo conferri meretur ejusdem SIGISMUNDI Diploma de 1441. Monasterio Gengenbacensi datum, ubi hæc habentur: So hat das Gotshuß zu Gengenbach reht sin lute zu besetzende uff eins Abbtis Camern zu Gengenbach, und mudert andersovo mit drien lidenehsten, oder mit drien die des Gotshuß lute sint, es sient Frouven oder Man. vid. Conf. DN. WENCKER de Pfalburgeris p. 137, ad §. 8. qui ibidem p. 147. subjungit fen-*

sententiam *Ampliss. MAGISTRAT. ARGENT. dō 1470.*  
 cujus inscriptio est : *Wie erkant ist einen mit VII. li-*  
*denehsten zu besetzen das er eigen sey vel Eigenleuht*  
*vrie sie sollen besetzt vverden. In illa autem senten-*  
*tia hæc exstant : Wellent Dietterich Burggrave, Her*  
*Gosse Burggrave sin Sun , und Reinbolt Burggrave,*  
*Heintzman von Franckenheim mit subenen siner rech-*  
*ten Lidenehsten besetzen das er ir eigen sy, noch dem*  
*des Landes und unser Stette recht und geuonheit ist.*  
*besetzent sie Heitzmann also, so sollent vvir in Heitz-*  
*mann lassen volgen, besetzen sie in aber anders das sol*  
*Heitzmann kein schaden bringen. Effet hic locus a-*  
*gendi de Sacramentalibus, sed cum id saxum jam*  
*voluerint præter Juris Feudalis Commentatores du*  
*FRESNE in Gloss. Latino-Barb. & DN. SIMON Ante-*  
*cessor Halensis in Dissert. peculiari, quam Sacra-*  
*mentales inscripsit, potius videamus, quid in HEN-*  
*RICI VI. diplomate per Nagilmagen & in textibus*  
*postea allegatis per Lidenehsten intelligatur. Vocem*  
*Nagelmage esse compositam facile liquet iis, qui*  
*norunt voce simplice Mag denotari cognatione con-*  
*junctum. unde Saxonum Spiellmag, Schvverdmag:*  
*quorum prius cognatum, quasi per fustum (qui*  
*inter foeminarum arma est) conjunctum; (qui idem*  
*in BULLA SIGISMUNDI Muttermag dicitur) poste-*  
*rius autem agnatum, quasi per enssem, qui viros ma-*  
*gis decet, connexum significat. Quid autem Nagil*  
*indigitet, dubium. CORNELIUS KILIANUS in Ety-*  
*mologico Teutonica Lingua hæc habet : Nacyghel-*  
*vriend, Naeghelmaghe, Consanguineus in septimo gra-*  
*du; in eo enim unguis, non membrum reperitur, at-*  
*que ideo cognatia ibi terminatur : ubi ad Speculum*

*Saxonicum* provocat. In illo autem hæc leguntur lib. 1. art. 3. *diß ist die erste Sipzal und grad des Erbgangs, so man zu Magen-Freundschaft rechnet (bruderkind und schweesterkind) In dem Elenbogen stehet die ander, in dem gliede der hand die dritte, in dem ersten glied des mittelsten fingers die vierde, in dem andern die fünffie, in dem dritten glied des fingers die sechste, in dem siebenden stehet ein Nagel und nicht ein glied, darumb endet da die Sip, und heisset vveiter Nagelfreunde.* Apud RUDINGERUM in *Observationibus Practicis Centur. III. Observat. 82.* hæc reperies: *Nagelfreund, Cognatus remotior qui dicatur. In den Sachsischen Rechten vviird der ein Nagelfreund genennet, der einem in der Sipschafft am vveitesten verwandt ist.* *Conr. Lag. in Comp. Jur. Civ. lib. 3. tit. 5.* Sed dubito an Explicatio hæc diplomati *Henriciano* conveniat. Probabile magis est denotari, *Proximos Cognatos.* nam in Legibus Antiquis passim sancitur, quod in hoc vel illo casu per Sacramentales sanguine proxime junctos probatio fieri debeat. Sic in *Capitulari III. de A. 813.* apud BALUZIUM *Capitular. Tom. 1. 511. n. 9.* dicitur: *Si quis hominem ingenuum ad servitium requirit, cum duodecim hominibus de suis proximis parentibus in sanctis juret & se ingenuum esse faciat aut servitium cadat.* In LEGIB. LONGOBARD. *lib. 2. tit. 21. c. 9.* *Et ille qui pulsat & vvadium suscepit, proximiores Sacramentales qui nascendi sunt, debeat nominare tantum.* In *Legibus Hoëli Boni Regis Walliæ c. 27.* dicitur: *Juret tamen de septimo proximorum sibi in redemptione super sepulcrum debitoris.* conf. du FRESNE in *Gloss. Lat. Barb. v. Juramentum.* Et huc collimat etiam

VOX

vox *Lidenehsten*, quæ *Cognatos proximos* significat. Derivatūr enim à *Lid* & *nehist*. *Lid* autem est nihil aliud, quam membrum. *Gl. KERONIS: Lidi*, membra, quæ vox etiam occurrit apud *OTFRIDUM Evāg. II. 9. II.* qui etiam, *l. 7. 7. & III, 5, II.* *Lidin* ulurpat pro membris. in *Paraphraseos Evangeliorum TATIANI* *Versione c. 28. n. 2.* verba: *Expedit ut pereat unum membrorum tuorum potius, quam totum Corpus tuum mittatur in gehennam.* redduntur ita: *bithergi ist thaz furverde ein thinero lido halt, thanne al thin lihhamo si gisentit in bella fuir.* Unde etiam oriuntur vocabula Barbara *Lidiscarti*, quod in *LL. Bajuvarior. lib. 3. c. 1. n. 21.* *abscissionem membri:* & *Liduvvagi*, quod in *Legibus Frisiorum tit. 22. §. 35.* *Humorem ex Articulo vulnerato decurrentem* significat. Ut adeo *Lidnehist* sit qui *cognitionis gradu proximus, der dem glied nach der nachste ist.* Nisi *Speculum Saxonicum* scrupulum injiceret, pro *Nagilmage*, legendum esse crederem, *Nahistmage*. Caterum quamvis talis Sacramentalium usus recesserit à foris Germanici, posse tamen eisdem justis de causis adhuc adhiberi nullus dubito; quo facit notabilis Textus in *Ordinat. Camerali Part. II. art. 10. n. 1.* ubi hæc occurrunt; *Und ob der beschuldigte (Reus fractæ Pacis publicæ) also größlich verdacht, daß er Purgation vonnöthen, so soll zu bescheidenheit des Richters stehen, ihm die aufzulegen oder nicht; die dann schwören sollen, daß sie glauben, daß er oder die, so sich mit dem Eid entschuldtigt recht geschworen haben.* Sed vitium hic latere in textu facile apparet: id ipsum autem ex *Editione Antiqua Ordinationis*



*Cameralis Caroli V. de 1548. quam debemus Juoni Scheffero, tolli potest, si pro Purgation legatur mitpurgatorn. quæ correctio confirmatur per Rec. Imp. Trevir. & Colon. de 1512. Part. I. art. 4. §. 6. ubi dicitur: Und so er das gethan hat so sol der Beschuldigt schuldig sein, sich desselben mit dem Eyd zu purgiren, Und ob die verdachte Person also größlich verdacht vvere daß die mit purgieren (lege: mitpurgieren) notdürffig, das sol der Bescheidenheit des Richters befohlen vverden, ihm die auffzulegen oder nicht. Eodem etiam modo legendus est Textus des Landfriedens zu Worms de 1521. ubi Editiones Recessuum recentiores hæc habent: Und ob der Beschuldigt also größlich verdacht, daß zu purgieren notdürffig, solches sol der Bescheidenheit des Richters befohlen vverden ihm die auffzulegen oder nicht. quod etiam patet ex Editione Recessuum, quæ profecta est à Seb. Wagnero Wornatiæ 1536. ubi loco verborum: zu purgieren, legitur: die mitpurgieren. De Praxi autem à temporibus nostris non multum remota huius rei testatur SEILER in Sentent. Camer. Select. fol. 359. sub Anno 1549. die 10. Aprilis, ubi inter alia hæc leguntur: Wollen die Kläger schvveren &c. und darzu zvvölff Sacramentales, mit purgierende zeugen, so von Adel gebohren, und Rittermassig, auch gedachter Marggraffschafft Lehenmannen, aus denen zum vvenigsten sechs ihnen den Klägern mit geblüt verwuand seyn, ob sie die also haben mögen darstellen, so dergleichen samt ihnen auch schvveren, daß sie glauben, daß die Kläger recht geschvveren haben. conf. SCHILTER. Ex. ad w. VI. §. 25. ubi affert Responsum Scabinorum Lipsiensium de 1551. in causa Albi corrupti;*

rupti ; ubi post alia dicitur : *Er erhielt dann und purgirt sich , vermittelst seinem leiblichen Eyde , daß er solche Verunreinigung hochgenänten V. G. H. zu verdrieß oder zu verkleinerung oder zu verachtung , oder aber aus vviderwillen nicht gethan habe , samt zweyen Compurgatorn , die do schvveren , daß sie glauben , daß er der schößser recht schvvere , in dem fall vvurde er mit der euren straff und busß , so viel hochgenannten Churf. betrifft , billich verschont . V. R. W. Et in Dania hanc rem durare ac frequentari tradit RITTERSHUSIUS lib. 2. Partit. Feud. c. 12. q. 13. quod ipsum etiam de Suecia asserit LOCCENIUS in Antiquit. Suev. Gothic. lib. 2. c. 4. sub cujus finem hæc leguntur : Inter liberationum a gravi suspitione genera antiquitas etiam usa est jurejurando purgationis. Hoc olim dum unã cum antefacramentalibus (forcedisman ut vocabant) & parariis in aliquo purgando jurabatur , ad CXC. numerum aliquando se extendit : uti Stiernhök lib. 1. jur. vet. Suev. Goth. cap. IV. & X. fuse notat ; quum eo tempore omnis ferme probatio in jurejurando fundata esset. Caterum , etiamsi hodie abusus hujusmodi jurisjurandi abrogatus , & superflua multitudo jurantium non amplius in usu sint , tamen cum duodena vel minori manu , pro natura facti , jurare adhuc usurpatur , atque si recte instituat , improbari nequit : hoc cum legibus divinis & natura consentaneum esse , ostendi in synopsi juris dissert. XXX. Qu. II. ut innocentia quacunque legitima via succurratur ; ne per mendacium & calumniam à veritate labores ac periclitetur . Erit tamen circumspecti judicis , non temere hoc permittere , nisi , urgenibus gravibus indicis veritas alio modo investigari nequeat :*

D

queat: nec nisi probatis & incorruptis compurgatoribus. Hodie in Vindicatione hæc materia regulariter, uti apud Romanos, probationes per instrumenta & Testes fiunt. Quæ autem Vindicationis Hominum formulæ hodiernis foris convenient, eleganter, ceu solet, tradit OLDENDORPIUS in *Classib. Actiom. Class. III. act. 9.* ubi p. 399. Vindicationis hominis proprii hæc habet formulam: *Ponit actor, quod habeat pradium, vel fundum, vel villam, in tali loco. Reus conventus est ejusdem pradij colonus originarius, vel adscriptitius. Reus aliquot annis coluit pradictum fundum, & præstitit debita servitia. Reus gerit se pro libero homine, & requisitus ut coleret, recusavit plane, & nunc quoque recusat. Quare petit actor vestra sententia pronuntiari, reum conventum esse rusticum ejus, & eo nomine condemnari, ut eidem actori villam seu pradium actoris colat, servitia præstet, censum solvat. Cateraque promove faciat. Cui subjungit aliam, qua quis in libertatem proclamatur hunc in modum: Actor ponit, quod ex talibus parentibus liberis legitime sit progenitus. Actor in tali loco domicilium semper habuit, nec ulli præstitit servitia. Reus conventus molestat eum, exigens ab eo culturam, & servitia contra jus sua libertatis. Quare petit actor, vestra sententia pronuntiari hominem se liberum, sui juris, nullique obnoxium esse, eoque nomine reum condemnari ac legitime compelli, ne posthac eundem actorem ad præstandum illi obsequium, vel ad colendam cogere tenset.* CONF. STAMMIUS de *Servitute Personali.* c. 29.

§. X.

Quod forum hujus Actionis attinet, illa regulariter

in-

instituenta est in foro Rei ; uti hoc clare apparet ex l. 3. C. UBI CAUSA STATUS. Vindicat autem quis servum vel ab ipso, cum nempe ille se pro libero gerere vult, vel à tertio, qui ipsum tanquam servum possidet. In priori casu aut servus ille est in quasi possessione Libertatis, aut non est : Si est in quasi possessione Libertatis, tunc conveniendus est in foro proprio. conf. l. 3. C. UBI CAUS. STAT. Si non est in illa, in foro domini est conveniendus, quod servorum est, ut etiam ille, qui in possessione servitutis constitutus se vindicat, Vindicationem instituire debet in foro domicilii Domini juxta l. 4. C. UBI CAUS. STAT. quod secus est, si in possessione libertatis constitutus se vindicat. vid. BRUNNEMANN. *ad C. d. t.* quod ipsum etiam ad Homines proprios accommodant MEVIUS *vom Zustand, Abforderung und Abfolg der Baursteut. Art. IV. n. 81. seqq.* qui etiam bene observat, quod, quoties dubium sit, quis sit in possessione vel libertatis vel servitutis summarie id cognoscendum sit à Magistratu, coram quo Vindicatio instituitur. conf. OTTO *in der Vorstellung der Leibeigenschaft art. VII. Statum de Servitut Person. lib. 3. c. 28.* Si autem quis aliquem vindicat à Tertio, sive dubium sit de Libertate, sive constet quidem eum, qui vindicatur esse servum, sed disceptetur tantum, an Actoris an Rei sit servus, ad judicem Rei hanc dijudicationem pertinere Analogia juris suadet. Notandum autem forum Vindicationum harum, quoties nempe quæstio status movebatur Libertatis aut ingenuitatis, olim fuisse privilegiatum : *Causis enim Status hoc privilegium fuit indultum* (verba sunt MÜLLERI ad STRUVI

*Ex IX. §. 58.) ut coram Magistratibus tantum, majoribus, quales in Urbe Consules, l. 27. w. de Liber. Caus. Pratores l. 1. C. de Off. Prator. In Provinciis vero ProConsules t. w. de off. Proconsulis. item Praesides l. 4. w. si ingen. esse dicatur l. 3. & 5, C. de ordine Cognit. moveri; non item committi & delegari potuerint judici dato aut pedaneo l. fin. C. ubi Caus. Stat. l. 32. §. 7. w. de recept. arbitr. Ab eo, quod modo allegatae Leges de Majoribus Magistratibus habent, non multum discrepant, quæ continentur in CAPITULAR. REG. FRANC. l. I. 4. c. 26. ubi dicitur: *Omnia controversia coram Censenario definiri potest, excepta redditione Terra & Mancipiorum qua non nisi coram Comite fieri potest.* cum quo confer quæ de Vindicatione apud Vice-Comitem in Anglia habet DU FRESNE in *v. Nativus*. si quis tamen vindicat servum suum à Tertio & quæstio non sit, an vindicatus sit servus vel liber, sed an sit servus Titii vel Mevii, hujus rei dijudicationem ad judicem ordinarium rei pertinere analogia juris suadet. Hodie regulariter causas Status Liberalitatis apud Judices inferiores & ordinarios tractari notat STRYCK. de *Quæstione Status*, quæ est inter *Diss. Acad. Vol. VI. Diss. V. c. 5. n. 44.* quod suo modo ad omnes Vindicationum species, quæ cum Quæstione Status conjunctæ sunt, applicari posse arbitramur.*

§. XI.

Vindicationum harum, prout ipsæ variæ sunt varij sunt effectus. Sic cum Libertatem vindicans vincit, consequens est ut vindicatus Liber & à dominio alieno immunis pronuncietur; quod contraria ratio-

ratione se habet. ubi quis in servitutem vindicatur. Is autem, à quo vindicatur, hominem cum omni causa restituere tenetur; hinc si serva mea ab alio possessa liberos enixa sit, non tantum ipsa sed liberi illi mihi cedunt. arg. l. 3. l. 24. *ϖ. de Statu Hom.* Ad bonorum etiam, quæ talis homo vel attulit, vel eo tempore, quo ab alio possidebatur, acquisivit restitutionem obligabitur possidens; conf. l. *un. C. de Colon. Thracens.* ubi tamen ex mente Juris Romani ratione acquisite notanda est differentia quædam, si enim homines liberi, aut servi nostri ab alio bona fide possessi aliquid acquirunt ex re possessoris aut ex operis suis, id ad possessorem pertinet, uti apparet ex §. 4. *Inst. per quas personas cuique acquiritur.* & quidem perpetuo, ut & condici possit ipsi domino, si quid forte tale ad eum pervenerit l. pen. *ϖ. de Stipul. Servor.* LOCCAMER in *Notis ad d. §. Inst.* Quicquid autem extra istas duas causas e. g. beneficio fortunæ acquiritur, id vel ad ipsum pertinet, si liber est, vel ad dominum, si servus est, uti JUSTINIANUS in §. *alleg.* loquitur. Quid circa Homines proprios obtineat erudite docet MEVIUS in *Tract. sepe all. art. ult. n. 118.* ubi etiam recte observat alimenta cum servitiis compensari, adeoq; eorum nomine Domino vindicanti nihil objici posse juxta l. 13. §. *ult. ϖ. de donat. inter Vir. & Uxor.* l. 48. *ϖ. de uxoris Libert.* l. 18. *possunt ϖ. Commodati.* plura de effectibus hic adderemus, sed ad finem properandum est.

§. XII.

In sede contrariorum observamus Vindicationem servi à Domino institutam non excludi quidem

dem per allegationem favitiæ, etiam enormis, posse tamen Dominum talem à Magistratu cogi, ut eundem æquis conditionibus alii vendat, juxta §. 2. *INST. de His qui sui vel alien. jur.* Nec à petitione sua Dominus repelli potest, si servus Clericus factus fuerit, vid. quæ ex Canonibus & Legibus allegat *DU FRESNE in v. servi.* Multo minus si Doctoralem aut alium Academicum gradum fuerit consecutus; nam ad hos ne quidem eos juris ratio admittit. vid. *STAMM de Servit. Person. lib. 3. c. 20. & LITTERUM de Honor. Academ. c. 7. p. m. 244.* Obstare tamen huic Vindicationi, acquisitionem dignitatis doctoralis sciente & permittente Domino factam existimant citati ab *ITTERO SICHARD. ad Rubr. C. de operis libert.* *STAMM. de Servit. Pers. lib. 3. cap. ult. n. 10.* aliique. Et hæc omnia etiam de Hominibus propriis vera sunt. De Præscriptione hic potissimum esset agendum, quatenus illa diversimode diversis Vindicationis Hominis speciebus obstat, verum cum de illa *STAMMIUS, HUSANUS, MEVIUS* aliique non pauca in medium attulerint, ad illos remittimus. Id saltem observamus, quod Homines proprii, qui in Civitates alias se contulere, diversa ratione in Germania fuerint præscripti contra dominos priores pro diversitate privilegiorum illis concessorum. Sic dulcissima Patria mea, *ARGENTINA* vi antiquissimorum Privilegiorum proprios aliorum Homines, quos in sinum Civitatis suæ recipit, præscribit Anno, uti apparet ex privilegio *MAXIMILIANI I. de 1501.* quo pertinet *JURIS nostri STATUTARIII antiqui Titulus von Burgern.* ubi dicitur: *vver Burger zu Stroßburg vverden vvil, der sol &c. Ist er deheins Herren eygen, beszet*

sexet in der in jores frist, man lasset in ime volgen  
 &c. conf. Das Sprechen (uti appellatur) zwischen  
 dem Bischoff Friderich von Liechtenberg und der Statt  
 Straßburg von deren vvegen, so die Stadt auß dem  
 Bischiurn zu burgern angenommen de A. 1300. apud  
 WENCKERUM de Pfalburgeris. Notabilis est hujus  
 privilegij declaratio, qua MAX II. A. 1566. notan-  
 te LIMNÆO Jure Publ. lib. VII. c. 3. §. 28. dicit:  
 daß auf dem Fall daß solche besetzung in Jares Frist  
 nicht geschehe, dieselbe folgend nicht mehr statt ha-  
 be, und denjenigen, so sie besetzen vvollen keine  
 Ignoranz, Unvvislenheit, oder ander Verhinderung  
 entschuldigen soll. Qua in parte luculentius est Pa-  
 triæ nostræ privilegium, quam Civitatis Lindavien-  
 sis, quæ juxta diploma RUDOLPHI I. quod CON-  
 RINGIUS in Censura Diplomatis Ludoviciani cap. 14.  
 p. 276. edidit, potest quidem homines proprios et-  
 iam anno præscribere, sed tum demum, si Domi-  
 nus scit ipsos habitare Lindaviæ, nec illos vindicet:  
 dicit enim ibidem: *Ipsorum etiam Civitas tali jure  
 & libertate uti debet, videlicet quod quicumque extra-  
 neus servilis conditionis à prædictis Civibus recipitur  
 in Concivem, si idem per spatium unius anni sine im-  
 petitione & repetitione domini sui in dictorum Civium  
 Civitate commoratur, ita si ipsum dominus scit in  
 oppido residentem, deinceps liber & solutus ab omni  
 servitio sui domini penitus permanebit.* Eiusdem tem-  
 poris præscriptione hac in re gaudet quoque Civi-  
 tas Spirensis; de qua re extat diploma WENCESLAI  
 Imp. de An. 1397. apud LEHMANN. Chron. Spirensi  
 lib. VII. c. 70. Urbs Bremensis anno & die excludit  
 vindicationem, uti hoc apparet ex privilegio FRI-



DERICI I. apud LIMN. J. Publ. Addit. ad lib. VII. c. 7. in quo legitur : *Concedimus eis & Civitati Bremensi confirmamus illa jura, qua sancta recordationis Carolus Imp. ad instantiam petitionis sancti Wilhadi primi Bremensis Ecclesia Antistitis, eidem Civitati concessit, videlicet hæc : Si quis vir, vel mulier, in civitate Bremensi sub eo, quod vulgo dicitur Wiebithese per annum & diem, nullo impetente permanserit, & si quis postea libertati ejus obviare voluerit, auctori silentio improbationis imposito, liceat ei dicti temporis præscriptione libertatem suam probare, excepta omni familia Bremana Ecclesia, & omnium Ecclesiarum, ad eam sua ditionis jure pertinentium. Si quis autem hujusmodi hominem impetierit, primum in ingressu cause fidejussores congruos ponat, & si in propositione sua procedere non poterit, impetito, & judici componat, utrique secundum jus suum. Nec minus juris Lubeca & Hamburgum habet, ceu docet MEVIUS in sæpe cit. Tract. p. 83. qui ex FABRO etiam notat Neciensem (forte legendum ; Niciensem, Nizza) in Sabaudiâ Civitatem eodem jure gaudere. de Viennensi idem docet LAMBECIUS in Bibliotheca Vindobonensi lib. 2. c. 5. p. 81. Oppido Dattenriedensi idem indulgit CAROLUS IV. Imperator in diplom. de 1358. apud WENCKERUM de Pfsalburgeris p. 174. ubi notabile annalem præscriptionem prodesse, si Dominus præsens seu in provincia sit : verba ita sonant : *die egeuant Burger mögent zu iren mitburgern empfohen al-lerley lüt von vvelichen enden die kommt. Were aber das ein eynichs Herren eygener Knecht der zu eym Mitburger uffgenommen von sinem Herren der inn-erwendig Lande ist, innerwendig dem uechsten Fore nis* erfor.*

erfordert, noch geheischen vurt, der sol donoch Burger derselben Statt bliben. Were aber das der Herre denselben Knecht innervendig Jores erfordert, und bewise daß er sin vvere mit zuweyen desselben fins Knechts nehsten mogen (ubi modus vindicandi observari meretur) der sol sinem Herren vvidergeben vverden. Anno & sex septimanis præscribere Civitatem Northusanam ex Diplomate RUDOLPHI I. de 1290 (quod allegat HERTIUS de Homin. Propriis Sect. III. §. 10. in not.) apparet: ubi attendi meretur clausula: cum hoc etiam aliis nostris & Imperij Civitatibus sit indultum; cum quâ concordant verba privilegii Spirensis supra allegati; alsß desgleichen auch ander unser und des Richs Stette habent. quo eodem jure etiam utitur Urbs Hamelensis, ceu manifestum fit per Privilegium ERNESTI Ducis Brunsvicensis de Ann. 1335. apud LEIBNÜZIUM in Rer. Brunsvic. Tom. II. p. 523. ubi asseritur: Item jus Civitatis est, quicumque intrat vel intrabit Civitatem & mansit in ea, vel manebit anno & sex septimanis absque querimoniis ulterius à nullo potest impeti de aliquo jure vel servitio, sed pro libero habebitur. in Ratisbona autem non nisi decennio præscribitur Vindicationi, ceu manifestum est ex FRIDERICI II. verbis apud WIGULEIUM HUNDIUM in Metrop. Salisb. p. 139. Item quicumque residens in Civitate impetitur de servili conditione, qua teneatur impetenti, si talis probabit, quod decem annis permanserit à nullo impetitus, deinceps securus permanebit à tali impetitione. conf. DATTIUS de Pace publ. I. 14. 116. qui etiam n. 135. observat jus hoc singulare toti Imperio commune factum fuisse per supra allegatam

tam BULLAM SIGISMUNDI, adeoque ubique Vindicationibus Hominum propriorum annale tempus indultum esse : quod tempus tamen in favorem Caroli & Bernardi Marchionum Badensium FRIDERICUS III. in confirmatione Privilegiorum de A. 1475. extendit ad decem, imò viginti annos.

§. XIII.

Plurima de Contrariis Vindicationi, inprimis de Præscriptione afferri & possent, & deberent, nisi nobis propositum fuisset Schediasma tantum Academicum Velitationi amicæ qualemcunque materiam daturum conscribere : hinc omissis illis in loco Affinium observamus ex Possessoriiis remediis hic locum invenire Interdicta de Liberis Exhibendis & ducendis; ut & de Libero Homine exhibendo, item Conditionem ex L. 14. C. de Agric. & Censitis. vid. MEVIUS in Tr. sup. alleg. p. 47. Accusatio ex *Lege Favia* etiam huc non incommode refertur: de qua præter alios vide GRAVINAM in scitissimo opere, quod *Origines Juris Civilis* inscripsit p. m. 737.

Tantum.

Ἐὼ μόνῳ δόξα.

## COROLLARIA.

### I.

PACTUM affirmativum, quod fit de succedendo, respiciens hæreditatem paciscentium, etiamsi sit conservativum, tamen regulariter de J. Civili nullum est.

### II.

II.

De alimentis futuris ultima voluntate relictis non valet Transactio, valet tamen de præteritis.

III.

Neque valet Transactio de rebus matrimonialibus, si agatur de matrimonio vel sponsalibus dissolvendis.

IV.

Minor contra repudiatam hæreditatem, si eam postea adire vult, in integrum restituitur.

V.

Potest etiam aliquis restitutionem in integrum petere, quamvis sit Juris Doctor.

VI.

Pactum legis Commissoriæ pignoribus adjectum utroque jure est invalidum.

VII.

Uxori hæreticæ non competit tacita hypotheca in bonis mariti.

VIII.

## VIII.

Non competit privilegiata hypothe-  
ca uxori, quæ sciens obærato nupfit.

## IX.

Competit tacita hypotheca fisco in  
bonis ejus, qui cum fisco contraxit.

## X.

Si Maritus res uxoris' dotales ipsa sci-  
ente vel ignorante creditori scienti oppi-  
gnoravit oppignoratio ipso jure nulla est.

## XI.

Fœmina quæ ex intercessione sua  
contra Senatusconsultum facta, juris vel  
facti errore aliquid solvit, illud, si vult,  
indebiti conditione repetere potest.

## XII.

Beneficium Senatusconsulti Mace-  
doniani in filiis Principum locum non  
habet.

*F I N I S.*